

II J  
268

DE  
VISU TALPARUM,  
DISCURSUS PHYSICUS,

Quem  
Benivolo indultu  
Incluti Ordinis Philosophici  
IN ALMA PHILUREA  
SUB PRÆSIDIO

VIRI  
EXCELLENTISSIMI AC PRÆCLARISSIMI  
DN. M. JACOBI THOMASII,  
Eloqventiæ Prof. Publ. celeberrimi, Fa-  
cult. Philosoph. Asses. gravissimi, nec non Min.  
Princip. Collegii Collegiati Dignif-  
simi,

*Dn. Præceptoris, Patroni atqve Promotoris  
omni observantiæ cultu ætatem de vene-  
randi*

publicæ Eruditorum ventilationi  
*ad XII. Calend. Januarii A. 1659.*  
Horis Locoqve consvetis  
subjecit

JOACHIMUS CORTHUM,  
HAMBURG.

Altenburgi, Literis Richterianis  
Curabat Christoph. Enoch. Buchta/ Anno 1671.

60.

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

✠  
✠

8

v  
t  
i  
t  
c  
c  
v  
f





# Juvante Triuno.

§. I.



Elebris est animalium in imperfecta & perfecta distinctio. Eam alii aliter a) : qui nobis maximè placent, à quinque sensuum plenitudine sic interpretantur, ut, eos omnes quæ habeant, perfecta sint; imperfecta, quæ uno aut pluribus destituuntur.

§. 2 In utra classe sit Talpa, ambigi solet, quod de visu ejus diversæ sunt sententiæ. Tres numeramus ( u- De visu tal-  
tique tot possunt esse : ) Prima, nec videre Talpas, neque parum.  
id posse; Altera, posse quidem, sed nunquam videre; Ter- sententiæ  
tia & posse & videre. Sed præstat forte secundam primæ due,  
conjungere. Sic prodibunt in campum acies adversæ  
duæ: Una, qui cæcum animal Talpam esse ajunt; altera  
qui hoc negant. Cæcitatem hîc, (ne quis verbum cavil-  
latur) eam intelligo, quæ toti speciei familiaris est,  
non solis individuis præter ordinem speciei obveniens.

A 2

QVO

a) Explicemus obiter Simplicium. Illi ad III. de Anim. f. 50.  
perfecta animalia sunt τὰ τεταγμένως πορευτικά. Sic vo-  
cavit, non, ut putat Theoph. Zymara ad eund. text. f. 248. ea  
quæ motum habent determinatum, prorsus, rationiq, paren-  
tem aut etiam conjunctum: sed quorum motus saltem non  
esset, ut pulicum, & similibus bestiolarum ἀτακτος.



Quo sensu Philosophus ipse b) aliter Talpam, aliter hominem visu privatum scripsit.

præter causam fortasse tantoperè intricata,

§ 3. Si ea inspicias, quæ de hoc argumento relata sunt in literas, uberem controversiam, & arduam agnoscas (tantus hîc ingeniorum sudor est:) perfacilem fortasse, si suis quisque potiùs, sed his curiosis, quàm alienis oculis talpam lustrasset. Nisi enim fallor, ab his iudicibus vindicias secundum visum & citiùs & minore longo negotio impetrassent talpæ, & Physicis lucratae essent longas molestias inextricabilis propemodùm disputationis.

Negativa, communior est, quod docent

§ 4. Quid interim factum sit, videmus. Tantâ seculorum præscriptione, tot hominum præjudiciis, damnatae sunt ad cæcitatem, ut hanc non in nomine tantùm earum, sed in proverbii quoque, fabulis, apologis, hieroglyphicis, onirocriticis, emblematicis, ænigmatibus ad satietatem deprehendamus. De singulis pauca.

Nomen;

§ 5. Primò: Latini Talpam quasi cæcam appellarunt, à τυφλός c) An hoc voluit Isidorus, cum scriberet d): *Talpa ideò dicta, quod sit damnata cæcitate perpetua & tenebris?* Et Schvvenckfeld e) *Talpa, à τῶ ἀλάξ, quod perpetuâ cæcitate infestetur?* Albertus M. f) autor est, talpam muræ quoque terrenum & cæcum vocari. Varinus: *Στῶ ἀλάξ ἢ ἀπὸ ἀλάξ, εἰδὲ ἀρρηταῖσμιός ἐκ γενετῆς τυφλός.* Similiter *τῶ ἀλάξ* alii passim Lexicographi. Verùm periphraSES non debent illicò (quæ multorum hodiè solennis ineptia est,) vulgari pro synonymis. Et rectè

b) IV. al. V. Metaph. 22, c) Becm. orig p. 1057. Aldrov. Fi. de Quadrup. dig. vivip. 36. f. 450. ubi pro *typha*, lege *typhla*. d) XII. orig 3. f. 285. e) Theriotr. Siles. p. 128. f) XXII. de Animal. Tr. 2. prope fin. f. 124.

rectè intercedit Gesnerus g) ne talpam cum diversi generis muribus, tum terreno, tum cæco, hoc est araneo, confundamus. De cætero cæcitatem Græci, si Lexicis h) habenda fides, nomine à talpis flexo *σπαλακίαν* quoque nominaverunt, quasi talpitudinem.

§. 6. Secundo: Res abiit in proverbium: *τυφλό-περ* *ἀσπάλαν*, *Ecceior talpâ*. Habes apud Diogenianum i) & Suidam k) A Cleomede l) usurpatum Camerarius m) notavit Epicurum, reprehendente, quod in Physicis, Ethic i s Astrologicis esset τῶν σπαλάκων n) *τυφλόπερ*.

Proverbi-  
um:

§. 7. Tertiò: Non amiserunt Poëtæ occasionem tam lepidam. Fabulati sunt, à Terrâ Talpam excæcatam, quòd fruges ejus corrumpere t). Alii cum majore apparatu: qui nunc Talpa est, hominem fuisse. Nota est Phinei cæcitas, & ab Harpyliis vexatio: sed rem aliis intactam narrat Oppianus p), à Titane nescio ob quam Phœbi vatis victoriam irato hanc

Fabulæ:

A 3

ipsi

g) de Quadrup. f. 931, conf. Aldrov. f. 450. h) Varinum & alios vide. i) cent. III. Prov. 25. k) in Ασπ. & τυφ. l) lib. II. de Mundo p. 240. m) II. Embl. 94. n) sic legendum pro *σπαλάμων*, quæ menda è Basil. edit. 1547. in Antverp. 1553. & Basil. alteram 1561. propagata est. Notanda ἐν παρῶδω judiciorum pugna. Lucretio Epicurus Sol est lib. III. Cleomedi Talpa, cui nos assentimur. o) Diogenian. & Suid. d. I. è *Stesimbrotos*, quod nomen pro *Stesichoro*. reddendum Schotto, Not. ad Diogenian. p. 251. p) II. Cyneg. extremo

ipsi poenam immittam, dein fugatis Boreadarum beneficio Harpyiis, cæcitati id additum, ut ex homine Talpa fieret : ita hoc animalculi genus, cum antè non esset, cœpisse. Thomæ Reinesio *q)* Viro de literis bonis immortaliter merito, & quotidiè merenti magis, debemus notitiam loci cujusdam, quem ex Hermete profert Olympiodorus Alexandrinus libro ἀνεκδότω, nobis commodè inservientis. Narratur ibi, Talpam hominem fuisse, cui, quod Solis mysteria enunciaisset, hæc divinitus oblata fuerit unà cum cæcitate maledictio. Non additur Phineï nomen : sed hæc tamen talia sunt prorsus, ut Oppiano lux inde sperari debeat, si assumas illud Apollonii Rhodii *r)* de culpâ Phineï:

εἵνεκα μαυροσύνης, τὴν οἱ πάρος ἐγγυάλιξε  
 Ληγοῖδης, ὅδ' ὅσον ὀπίζετο καὶ Διὸς αὐτῆ  
 χρείων ἀτρεκέως ἱερὸν νόον ἀνθρώποισι,

Apologi: §. 8. Quarto : cæca est Talpa etiam in Apologis  
*s)* Quos, quia nec pueris ignorantur, repetere superse-  
 demus.

Hieroglyphica: §. 9. Quinto : in Hieroglyphicis notis *t)* ;  
 §. 10. Sexto : etiam in Onirocriticis *u)* Talpa sym-  
 bolum est cæcitatis, ut loquimur, corporalis ;

§. 11. Septimo : imò & spiritualis apud scriptores  
 Simi-

*q)* I. Var. Lect. 2. p. 7. *r)* II. Argon. p. m. 61. conf. Valer. Flacc. lib. IV. v. 479. seqq. *s)* Vid. Fab. Æsep. ed. Camer. Tit. Talpa. Talpa & Mus. de Afino, Simiâ, & Talpa. Talpæ deprecatio p. m. 102. c. 235. 386. *t)* Horus Niliacus citandus p. 15. Pier. XIII. Hierogl. 23 Svalenb. aph. Hierogl. lib. XIII, n. 4. lac. Masc. spec. imag. pag. 567. 580. *u)* Artemid. III. 65.

Similitudinū, Allegoriarum, vv) & Emblematum x). Quō Emblemata  
& illud Eucherii y) pertinet, hæreticos per talpas in divi-  
nis literis accipientis.

§. 12. Denique, cū ne ænigmata quidem (lati-  
num Symposii z) Camerarii a) græcum, germanicum Anigmata:  
Harsdörfferi b) aliter nobis Talpam depingant: verè  
*nobilem cæcitate* cum Bodino c) eam quis appellaverit.

§. 13. Quæ dicta sunt hæcenus, quàm latè d) disse-  
minata fuerit hæc de talpina cæcitate opinio, facilè osten- Eadem ap-  
dunt: originem ejus, auctoritatem inter eruditos, & pro- probata fuit  
gressiones nondum manifestant. Id ergo deinceps face-  
re tentabimus, simul indicaturi, quâ occasione dubitari de  
eâ cœperit, tanto paulatim profectu, ut ei nos hodiè planè  
fidem abrogare non dubitemus.

§. 14. Antiquissimi talpam & oculis & visu carere o- ab Antiqui-  
pinati sunt. Horus Niliacus seu Horapollo, incerti qui- tate.  
dem ævi scriptor, sed hæud dubiè vetustissimæ recitator  
sententiæ, in Hieroglyphicis e): Α' ὄφρων τυφλὸν βεβλόμενοι  
σημῆται, ἀσπ' ἀλακὰ, ζωγραφεῖσιν ἐκεῖν. Θ γὰρ ὀφθαλμοῖς ἐκ  
ἔχει,

vv) loh. à S. Geminiano V. derer. similit. 92. p. 269. Botsac. Prompt.  
All. c. 7. art. 1 p. 191. Adde Meffreth. Serm. de Temp. Part. Hi-  
em. fer. IV. post Lat. Serm. 2. Pelbart. de Sanct. Part. Æstiv. serm.  
116. Frantz. l. Histor. Anim. 28. sub fin. Aldrov. f. 457. ex Ripâ.  
x) Camer. II. Embl. 94. y) ap. Pier. z) Æn. 25. ed. Reusn.  
p. 152. a) p. 256 ap. eund. Reusn. b) Simf. Nâhtsel 47. c) III.  
Theat. Nat. p. 343. d) Pro communi hæc opinione citan-  
tur & Cic. IV. Ac. p. 20. *quid talpam? num desiderare lumen  
putas?* & Virgil. l. Georg. v. 183. *Aut oculis capti fodere cubilia  
talpæ.* His adde è priscis autorem Kyranidum lib. II. p. 103.  
*Talpa animal est cæcum: è recentiorib. Danæ. Part. alt. Phys.  
Christ. Tr. 5. c. 4. (e) Lib. II. n. 63. ed. Hæsch. vel. 59. ed.  
Caussin. scripsit Horus Ægyptiacè.*

§. 15 Aristoteles postea, oculis hujus animalis ab  
anatomie detectis, visum tamen ipsi, quem crederet obdu-  
cta pelle impediri, ne utiquam *f*) reddidit: in eandemque  
sententiam partim auctoritate sua partim ratione pertra-  
xit Plinium *g*) Galenum *h*) Philoponum *i*), Themistium  
ab Aristote- le & sequa- *k*), Averoem *l*), Thomam *m*), M. A. Zimaram *n*) (cujus  
cibus; hinc studium præ cæteris eminere dixerim, ) alios *o*) : eo  
qvi

*f*) Aristoteles sibi ipse videtur adversari, inquit Scalig. Exercit. 244 p. 703. sed videtur. Quatuor omnino in hanc rem locos reperio III. de anima 1. (apud Arabes est text. 131. lib. II.) I. Hist. An. 9. IV. 8. & quem *g*. 2. citavi IV. Metaph. 22. planissimum omnium pro cæcitate, nisi quis excipere posset, exemplorum non requiri veritatem: sicuti contra textus è lib. de anima sic obscurus est, ut & interpretes variis torqueat modis (quinque aut plures expositiones facile numerabimus) & ab his ad visum talpæ, ab illis ad cæcitatem trahatur. Rectè hoc posterius, ut infra docebimus è collatione cum textibus Hist. Anim. Licet enim & horum sententiam sollicitent nonnulli, tamen operam perdunt. Sanè pro cæcitate talparum etiam ideò pugnant tot suffragia superioris ævi, quia constaret, ita sensisse Aristotelem. *g*) lib. XI. cap. 37. et XXX. 3. *h*) XIV. de usu part. 6. & II. de sem. 5. Prior locum pro visu citat Keckerm. Disp. XV. curs. phil. probl. 22. Sed decepit eum sua solennis ἀβλεψία, quod planissimè intelliget, qui eum comparabit, cum Conimb. Nam Galenum inspicere non curavit, et si hunc nominat, illos tacet. Quod de Albert. Gonimb. dixerant ad III. de An. 1. Q. unic. art. 4. p. 358. de Galeno dictum credidit. *i*) ap. Conimb. d. I. p. 359. conf. Th. Zymar ad III. de an. f. 247. 248. *k*) ap. Conimb. d. I. Zym. f. 248. Aug. Niph. ibid. f. 518. Tolet. ad III. de an. p. 113. *l*) ad II de an text. 131 de alio ejus loco dicetur inf. *m*] ap. Conimb. d. I. Simon de sens. f. 41. & M. A. Zim. Tab. super Aristot. & Aver. Digress. de Talpâ. *n*] d. I. o.) Bart. Angl. XVIII. de rer. prop. 100. Freig. lib. XXXIV. Phys. p. 1134. Franz. I. Hist. an. 28.



quidem accedente applausu, ut illi sententia tanquam evicta à Physicis, vel certè communiore, parcerent etiam Scholæ Metaphysicorum, eaque salvâ prospicerent nihilominus canonis suo, qui frustra esse potentiam pronunciat, quæ in actum non deducatur p).

§. 16. Sub his ergò adversariis succubuit visus Talparum. Quæramus nunc illi Patronos. Primus, *deserta à B* quod sciam, Simplicius laudabili facinore non tam à *Simplicio.* talpis dedecus cæcitatatis depellere conatus est, quàm ab ipsa Natura ejusque conditore Deo imprudentiæ ignominiam, aut imminutæ potestatis; si oculos talpæ dedisset, nihil unquam adspecturos. Ου γὰρ ἂν μοί την, inquit q) ὑπὸ τὸ δέρμα ἦσαν οἱ ὀφθαλμοὶ τῶ ζώου, εἰ μὴ καὶ ἐνεργεῖν ὑπὸ τὸ δέρμα ἠδύναντο. ἀλλ' ἀμυδρῶς καὶ ἐκ σκοτίας διαδένειαν, ὡς καὶ τὰ νυκτινόμα. Debilem visum, tribuit oculis talparum, ut quem obducta pellis remoretur, visum tamen.

§. 17. Secuta est licet longo satis intervallo, Alberti M. mirifica prorsus & singularis opinio, videre talpas, sed oculis carere ab Alberto: horum vicem iis præstare pellem depilem humidiusculæ car- (sed cum app- ni prætentam, usu non ampliore, nisi ut lucem à tenebris di- pendice por- gnoscens admoneatur, extra salutare sibi elementum terræ se- tentosæ o- emerfisse r). Sed unius Alberti auctoritas suos talpæ oculos pinionis,

B

ef-

p. Vid. M. A. Zimar Theor. 117. p. m 233. Reeb Axiom. Phi-  
los. II p. 153 Sthal part. I. Disp. 3. Reg. Phil. 2. p 67. 68. CL & ami-  
ciss. Collega Schertzerus Fac. Phil. h. t. Decanus in Axiom. resol.  
p. 21. & Aurif distinct. p. 40. 41 q) ὑπομν. εἰς τὸ γ. περὶ ψυχ.  
f. 50. ed. Ven 1537. r) verba Alberti appono, I. de Animal Tr.  
l. c. 3. Hæc, inquit, est privata oculis, ut videtur: nihil; enim omni-  
nò videt (eolorum) & errat incedens, quando de terrâ egreditur.  
Sed hoc experimento probavi, quod pellis sui capitis in loco oculo-  
rum plana est & tenuis, alba sine pilis, & clausa tota, quod nec si-  
gnum habet divisionis: & quando subtiliter inciditur, nihil omni-  
nò inveni nigredinis nec materia oculorum.

[Aristoteli hæc tacitè opponit, quem paulò post nomi-  
nat apertè,) *sed carnem inveni ibi humidam magis, quàm  
alibi.* Postea: *Videtur dicendum esse, quòd ---- cum sit a-  
nimal, quod non habet extra terram habitationem & vi-  
ctum ---- non erant ei necessarii oculi, sed essent superflui, si  
haberet eos: ---- ideo natura dedit ei in locum oculorum  
pellem tenuem, planam, depilatam, ad quam factâ tenui lu-  
minis reflexione sensum accipiat, quando sit sub terrâ, &  
quando non sit sub ipsâ.* Et Libr. XXII Tr. 2. prope fin.  
ubi de Talpâ: *Loca oculorum habens, non oculos (justos,  
quales in aliis animantibus) unde pellem in loco oculorum  
non habet pilosam (saltem ut luminis species per eam  
transmitti posset)* Interpretatione adjuvandus fuit ser-  
mo aliàs fateor, obscurus. Scaliger Exerc. 244 p. 704.  
aliò trahit. *Quem non seqvor.* Habet ibi Albertum  
pro Patrono non visus talpini, sed cœcitatatis. Quod an-  
te eum fecerat & Zimara digr. de Talp. Cajetano absen-  
tiens. Non miror, quia opinio Alberti portentum est.  
Quis credat ab eo visum relinqui talpis, qui oculos ipsis  
eruit? Et obscuritatem dictionis modò accusavi. Sed  
Alberto non planè cæcos esse talpas persuasum fuit et-  
iam Toletò & Cœnimb. ad III. de an l. Neque aliter sen-  
tire possumus [nisi velimus ipsum sibi contradixisse] per  
ca, quæ ad II. an text. 131. commentatur: *propter con-  
suetam opacitatem terræ & tenebram sustinere lumen non  
posset (sanè qui planè cæcus est, lumen quantumvis faci-  
lè sustinebit) nisi oculos [vicarios istos] tectos pelle haberet,  
ob quod in loco oculorum exterius pilos non habet pellis ejus,  
ut magis sit spissa.* Aucupatur hoc verbum Zimara, &  
urget: Albertum, si talpis visum dare voluisset, non quæ-  
siturum fuisse huic sententiæ pondus à spissitudine pel-  
lis, sed raritate potiùs ac perspicuitate. Debuerat ani-  
madvertere, spissitudinem hîc pro causâ poni non visus  
simpliciter, sed visûs hebetis. Quod porrò quasi ex Al-  
berti mente addit Zimara, non spiritali sed reali altera-  
tio-

tione pellem talpæ alterandam fuisse à lumine, quia lumen per sui reflexionem calefaciat: tam frigidum est pro hoc loco, ut vix affingi possit homini stupidissimo. Hæc disputanda fuerunt, qui historiam opinionum hîc vestigamus: aliàs forte non erant tanti. Quî verò in hanc opinionem incidere Albertus, infra conjiciendi locus erit.

effodientis, quos illi tot testes etiam qui cæcam vel- & quæ se  
lent, addixissent, spretâ est facilè. Sic illa bestiola si nemini ap-  
non visum, saltem instrumentum videndi retinuit usq; probaret  
ad seculum à nostro proximum. postea:

§. 18. Quo jam & visu redonata est à plerisque: à recentioribus:  
verùm sub eo onere, quod illi reliquerat Sim-  
plicius, ut scilicet tantum videret, quantum per obductam  
posset pelliculam. Refrigescente quippe per hæc tem-  
pora studio nominis Aristotelici deprehensum est  
tandem, non posse Naturam satis absolvi ab infamiâ  
frustrationis, (ut ut eam amoliri pars adversa omnibus  
modis laborasset,) nisi ut cunque fungerentur isti ocu-  
li officio sibi suo.

§. 19. Ab hoc principio melior hæc sententia,  
continuâ serie ad nos usque deducta est nec paucis au-  
toribus, & iis sanè quàm claris atque idoneis. Qui-  
bus signiferum constituamus & ex merito suo ( fuit, ut Simonio:  
enim Philosophus & Medicus excellens, & de Aristotele nostro probè commeritus ) & ex affectu nostro,  
qui posteros ejus in hæc urbe superstites affinitate, con-  
tingimus ) Simonem Simonium ); nec legi quenquam  
qui pro visu talparum luculentius disserat, & gravius  
atque constantius. Quæ laudes nisi hîc defuissent

B 2

Sca-

5] In Arist. de sens. f. 41, seqq.

Scaligero,

& complu-  
ribus aliis.

Scaligero *t*) præcedere poterat. Ponetur tamen pro-  
ximus, tum quia pro suo Aristotelis amore in eum sen-  
tentia hujus auctoritatem, item ut Simonius, contu-  
lit: tum quia ut Simonium Timplerus & Alstedius *u*)  
Sic Scaligerum Sennertus, Becmannus, Aldrovandus  
*vv*) sequuntur. De cætero militantes habemus in  
hâc acie Toletum *x*) quoque, Hauenreuterum *y*) Fro-  
mondum *z*) Rollenhagium, qui peculiari libro diffide-  
re nos docuit multis hujusmodi veterum rumusculis  
*a*) Bodinum *b*) Keckermannum *c*) & Etzlerum *d*).

§. 20. Non

*t*) qui hic sibi ipse adversatur longè verius, quam Aristoteles,  
Exerc. 197. talpam imperfectissimum animal arbitratur,  
& optimo sensu carere dicit. In eandem sententiam,  
cùm Exerc. 244. multa profudisset, revocat se tamen de-  
nique, & à talpâ lucem percipi concludit. Eiusdem in-  
constantia Cardanum mox notabimus. Ubi lepida  
res contigit. Quo loco perfectis animalibus talpam  
aggregat Cardanus, Scaliger eam extremo loco esse ju-  
bet inter imperfecta. Vicissim, ubi carentem oculis in-  
ducit ille: hic oculis pariter & visu instruit. Ita semel  
cæcutivit, Cardanus dum suam: bis Scaliger, dum & su-  
am, & quod mirère ejus adversarii, cujus esset aliàs cen-  
sor acerrimus, ἀνυλογίαν prætervidet *u*) Satis copiose  
tractat hanc Qv. Timpl. Part. III. Phys. lib. 4. c. 8.  
probl. 5. & ibi Simonium exerte citat p. 439. & ver-  
bis ejus quibusdam utitur quæ postea, æquè ac sententi-  
am suam fecit Alsted. XIII. Enc. Phys. part. 6. c. 5. reg. 2. f.  
178. add. ibid. c. 2. reg. 12. aph. 7. f. 166. *vv*) hi omnes ad  
Scal. provocant: Senn. VII. Epit. N. Sc. 10. p. m. 567.  
Becm. orig. p. 1058. Aldrov. f. 451. *x*] ad III. de an. c. 1.  
*y*] ibid. 7. ] III. de an. c. 2. art. 1. p. 485. 486. *a*] Glaubw.  
Zug. c. 16. p. 277. *b*) Theat. Nat. lib. III. p. 343. *c*.)  
Disp. XV. Curs. Phil. probl. 22. *d*] Isag. Phys. D. 3.

§. 20. Non tacuerim hoc loco, habuisse hoc bel- Variantibus  
lum etiam transfugas suos, etiam qui neutras partes se- quibusdam,  
querentur. Bis mutavit sententiam Cardanus e), sed  
locis diversis. In eodem commento talpam perfe-  
ctis, imperfectis, videntibus, cœcis annumerat Theo-  
philus Zymara f), M. Ant. filius. Conimbricensibus  
g) tutius videtur rem in ambiguo relinquere. Etiam  
Jonstonus h) quasi medium se gerit inter partes, recen-  
tissimus scriptor, & ob experimenta magnæ celebri-  
tatis, & ita gerit, ut, si urgeatur, facile credas abiturum  
ad eos, qui talpis visum detrahunt.

aut senten-  
tiam suspen-  
dentibus,

§. 21. Poteramus horum modestiam & nos imi- eligitur af-  
tari, nisi credidissemus in conflictu disputationis Aca- firmativa.  
demica ad veritatem liquidius nos perventuros, si co-  
pias nostras jungeremus alteri parti. Eam elegimus,  
quæ rationibus non indiligenter computatis videba-  
tur potitura esse victoria. Et omnino perpulit nos  
eorum experientia minimè suspecta, qui oculos  
talpæ non tantum post anatomen, sed etiam in anima-  
livivo & illæso extra pellem conspexerunt. Nam  
quòd scriptores illi omnes, quos §. 19. pro visu citavi-  
mus, (taceo de adversariis,) aut pelle obtectos claris  
verbis faciunt, aut certè hoc non manifeste negant, quo

B 3 pacto

e) lib. IX. Subt. f. 252. talpa ipsi imperfectum est animal; Lib.  
X. f. 275. & 297. perfectum, ubi & pro visu ejus pugnat:  
vicissim f. 339. pro cœcitate. Poterat hic Cardano jun-  
gi Scaliger. Sed visum est adversarios disjungere. Vi-  
de interim, quæ ad §. 19. dicta sunt. f) in III. de An.  
text. [Arab.] 131. scriptor flagitiosè securus de Lectoris  
eruditi judicio. g) ad III. de an. Q. r. art. 4. p. 359. h)  
Hist. Nat. de Quadr. c. 18. f. 169. 170.

et id evenerit, ex iis, quæ nunc dicemus, conjecerit, aliquis, ut puto, non ineptè.

Occasiones  
controver-  
siae.

§. 22. Nimirum ita est. Facile fallunt oculi talparum intuentes, tum exilitate, tum nigrae pellis similitudine, & quod claudi possunt palpebris. Hæc, nisi fallor, ex causâ planè sunt ab antiquissimis negati, cum eos, ut in animali contempto & invisio, prætervidissent. Ea fides sic invaluit, ut illos ne quidem, qui secare vellent mortui cadaver, requirerent. Forte jam detracta pelle interiora rimantibus demùm apparuere. Ita creditum est eos nativo & continuo tegi corio. Quod non absurdè traxit Aristoteles in argumentum jam ante persuasæ cæcitatæ, nisi quod erroris cujusdam Natura fuit insimulanda. Sed hoc Aristotelem qui Ethnicus foret, à sententiâ non dimovit, ut postea monstrabitur; meritò dimovit Christianos, quanquam in his non pauci Aristotelem hac in re prætulerunt pietati. His gradibus perventum est eo tandem, ut visus daretur talpis, sed per pellem. Nos, qui tam fidelia de oculis talparum conspicuis testimonia habemus, veniam certè speramus, si bonæ causæ tale jam fulcrum subjiciemus, sine quo factum est hæctenus, ut doctissimi ejus advocati ad argumenta quædam non firmissima confugerent, ut è sequentibus planum fiet.

& præcipuus cardo:  
An oculos  
talpæ habeant?

§. 23. Etenim tempus est, ut hæctenus ordinatas acies committamus inter se, & rationibus agere jubeamus. Argumenta utrinque numerum aliquem faciunt, sed nullum magis est decretorium, quam ab oculis quod petitur. Ergò ab hoc ordiamur. Nam si oculos habent talpæ, videbunt etiam invito Aristotele; si non habent, frustra paramus illis collyria. Oculos in-

intelligo, non quales artifex pingit aut sculpsit in materia mortua, veris similes; sed quales natura solet fingere, non extra ordinem, cum in individuis certis læsæ forte materiæ obsequitur, sed modo ordinario & ipsam speciem animalis attingente.

§. 24. Ab antiquissimis exoculatas fuisse talpas, & diximus ante *i*) & ignovimus nuper *k*). Eadem recentioribus, qui se ab illis trahi permiserunt *l*), parata est venia, si velint accipere; secus, ad anatomen ablegandis, aut nube testium adverforum *m*) obruendis: aut, ut placidius cum illis agamus, mittendis ad mitissimum Poëtarum Virgilium *n*), ut ab illo discant saltem oculos condonare talpis, si visum non volunt.

quod asseritur contra negantes;

§. 25. Sed quomodo nobis cavebimus ab Alberto experientiam suam *o*) opponente? Scimus de hoc viro, Cajetani *p*) iudicium: sed malumus, quicquid in illo & in his præcipuum Albertum.

*i*) §. 14. *k*) §. 22. *l*) *l*fid. XII. Orig. 3. & inde Barth. Angl. XVIII. de R. P. 100. Card. X. Subt. f. 339. Sed hic jugulari etiam potest gladio proprio, vide notata ad §. 20. Schvvenckf. Ther. Sil. p. 128. Oculi, inquit, nulli. Benè tamen, quod addit: *nisi quis velit oculos dicere punctula illa nigra semini papaveris similia sub cute utrinque prope rictum herentia.* *m*) eos reduc. è § 15 & seqq. *n*) I. Georg. 183. oculis capti --- talpe. Ubi rectè Cerda f. 216. Poeta signatè captos oculis dixit. Nam capti oculis, auribus, lingua dicuntur, qui vera habent membra illa, sed non usum. Add. Becman p. 1058. orig. Minus rectè interpretati fuerant Servius, Pomp. Sabinus, & ex parte Bersmann. ad h. l. p. 100 Camerar. in ænigm. eleganter tribuit talpæ ἀνόμματον ὄπταπην, visum exoculatum, pro oculis exvifatis. *o*) vid. suprâ ad §. 17. *p*) Gaetanus noster solebat dicere, in latinâ lingua duos viros illustres fuisse menda-

illo experimento erravit Albertus, casui q) imputare. Alioqui non deerunt nobis recentiores, quorum hinc omnino dignatio major. Pro omnibus testimonium dicat unus Jonstonus r): *Vera equidem sunt, inquit, quae scribit Plinius de oculis talpae: Visuntur enim ipsi in suo loco, nigri toti ---- pusilli, quale est semen psyllii.*

Quales habeant? Integros,

eum nervis opticis,

§. 26. Sunt ergo talpis oculi. Sed an satis integri? Valdè hinc deserimur à Jonstano, cujus modo proficuum operam experiebamur, & tantum non tota causa per eum cadimus. Dubitat ille, an oculi talparum fungi videndi munere possint, etiam eam ob causam, quod multa eis adhuc desint, quae necessaria sunt. s). Obsecro quæ? Nulli, inquit, ipsis inserti nervi optici. t.) Sed benè speramus: Addit enim statim: quantum mihi advertere licuit. Videamus ergo, an id licuerit aliis. Et verò licuit. Aristoteles u) εἰσι γὰρ ( τοῖς ἀσπάλαξι) διὰ τὸ ἐγνεφά-  
λου

scs in rebus particularibus, quorum alter fuit nobilis, alter rusticus. Nobilem assererat Plinium ---- Alter vero rusticus est Albertus, qui dicit se expertum, & in multis talibus non verum dicit, Zimar. digr. p. 380. Vide fastum Itali hominis, & in nostram gentem aculeum. Plinium nobilem vocat: Italus fuit. Rusticum Albertum: fuit Germanus. De Plinii nobilitate parum constat: Albertum clarissimam familiam editum, amplissimam Episcopi dignitate functum fuisse, id verò orbi notum est. q) non oculos tantum negat, sed & pellem facit continuam. Neutrum verè. Palebras esse talpis qui viderunt, affirmant. Eas accuratè claudit. Fefellit Albertum clausura. Oculi, qui erant, vel pellem sequi potuerunt, vel corrumpi cultro. Quem subtilem fuisse nobis nondum persuasit. r) c. 18. H. N. de Q. f. 169. s) f. 170. t) f. 169 conf. Schyvenckf. l. ante cit. u) IV. Hist. An. 8.



λς, ἢ συνάπει τὸ ἔυρον, δύο πόροι νευρώδεις καὶ ἰσχυροὶ  
παρ' αὐταῖς, τείνοντες τὰς ἐδρας τῶν ὀφθαλμῶν, τελευταῖ-  
τες εἰς ἴδ' ἀνω χαυλώδοντες. Aldrovandus υυ): *Per ana-*  
*tomicam inspectionem (talpis) duo nervi ad ipsas oculorum sedes à*  
*cerebro ducuntur.*

§. 72. Idem Aristoteles, (ut de recentioribus x) si- humoribus  
leam, ) observavit etiam in oculis talpæ τὸ μέλαν καὶ & tunicis  
ἐντός τ' ἴδ' μέλαν & τὴν καλουμένην κόρην, καὶ τὸ κυκλώπιον: omnibus  
paucis: πάντα ταῦτα τὰ μέρη τοῖς ἀληθινοῖς γ) *Quid am-*  
*plius desideramus? Nam, quòd hos oculos veris op-*  
*ponit, non alià factum culpa, nisi pelliculæ, quâ tectos*  
*putavit: Post Aristotelem Galenus ζ) eorum humo-*  
*rem vitreum & crystallinum, & præterea tunicas à me-*  
*ningibus ortas expressè memorat. Excipere solent*  
*araneam, in qua fieret visio & Galenum citant ex A-*  
*verroë a.) Ubi hoc vel Galenus scripserit, vel Averroës*  
*b): ubi docuerint c), in aranea tunica visionem fieri,*  
*ipsi viderint. Nos hic ubi maximè scribi id poterat,*  
*Galeni compertum habemus silentium. Imò ait, talpis*  
*tunicas esse ἕδ' ἠπλον τῶν χρωδύων ὀφθαλμοῖς ζῴων. ἀλλ'*  
*ὡς ἠνεώχθησαν αὐτοῖς ἕδ' ἐπεθύβησαν ἐκ' ἴδ', ἀλλ' ἀτελεῖς,*  
C
ταύ-

υυ) f. 451. Adde Bodin. x) Simon de sens. f. 42. Camer. IIa  
Embl. 94. alii. γ) d. I. add. I. Hist. An. Plinius cum XI.  
37. scriberet; *Talpis visus non est, oculorum effigies inest,*  
*Scaligero iudice Ex. 244 p. 704. curtis verbis textit Aristo-*  
*telis sententiam, non aperuit. ζ) XIV. de usu part 6. II.*  
*de sem. 5. a) Zimar. in Tab. voce Talpa p. 379. & in*  
*digress. p. 380. ubi addit: Ἐξ ἐμπειρίας ἐστὶν ἡ ἀρετή, Scal. p. 709.*  
*Conf. Bodin. p. 343 & Becm. p. 1057. b) citant Averr.*  
*in I de generat. anim. 1. Ego non reperio. c) Humo-*  
*ri crystallino à Galeno, Averroë, aliis principatum in o-*  
*peratione visus attribui, Horstius testatur II. de Nat. hum.*  
*Exerc. 6. Q. 7. p. 426. Araneæ telæ, opinor, nemo.*

ταύτη κατελείφθησαν ὁμοιοι φυλαχθέντες τοῖς τῶν ἄλλων  
ἐπικυομένων : quasi diceret, nihil omnino deesse illis,  
nisi quod aperti non sunt.

Si tamen  
omnes in iis  
quærendæ  
sunt :

§. 28. Pone tamen, non esse tantum apparatus in  
oculis talpinis, quantum in nostris deprehenderunt  
anatomici. An ideò non videbunt? Muribus credo  
non amplior est supellex : nec necessariam fuisse tam  
pusillo animali simile vero arbitror.

præterea  
pelle

§. 29. De pelle seu membrana indivulsa, quæ tal-  
parum oculos operiat, fortior persuasio est : quippe  
non Aristoteli tantum & Galeno *d)*, sed cæteris propè,  
omnibus *e)* affirmata. Quo ævo monachorum fabu-  
læ divinas pariter & humanas literas conspurcarunt,  
etiam aliud commentum accessit : rumpi illam pellem  
sub articulum moriendi *f)*.

§. 30.

*d)* locis cit. *e)* Plin. Themist. Simpl. Averr. Alb. uterque Zim-  
Tolet. Simon. Scal. Fromond. Freig. Keck. Timpl. Alst-  
Becm. Bod. Jonston Add. Bassian. Land. 1. Anat. 8. p. 55. *f)*  
Barth. Angl. XVII. de rer. prop. 100. *Et putaverunt  
aliqui, quod illud corium rumpitur præ angustia, quando  
incipit mori : & tunc incipit aperire oculos in moriendo,  
quos clausos habebat in vivendo.* Meffreth. in serm.  
de Temp. Fer. IV. post Læt. Serm. 2. *Valde notabile, quod  
talpa incipit habere oculos post mortem. Sic & cupidi & a-  
vari qui claudunt hic oculos, ne videant pauperes, in  
pœnâ inferni habent oculos patentes & videntes. Quod pat-  
ret de divite Luc. 16. hic cum esset in tormentis, cepit oculos  
levare.* An ergò nata est hæc fabula in templis Pontifi-  
ciorum, cum pulchrum putaretur, Evangelia fabulis illu-  
strare? Add. Jo. à S. Gem. V. de rer. sim. 92. p. 269. Al-  
drov. f. 456 & conf. Botfac. Alleg. p. 192. An in pulpitis  
philosophorum, ut vel sic defenderent Axioma : frustra  
esse potentiam, quæ nunquam ætuetur? An videns ali-

quis mortuam talpam, quæ oculos haberet apertos, id in morte demum contigisse putavit, quòd vivis oculos claudi jam tot secula decrevissent?

§. 30. Verùm omitto, quàm parum de illa pelle conveniat inter ipsos g), nec repeto erroris hujus originem jam supra b) expositam. Tantùm duci me patior à Gesnero in rem præsentem, viro minimè vano. *Mihi quidem, inquit i), aliquoties inspicienti talparum ocelli liquidò apparuerunt: prominent enim extra cutim velut puncta nigra, magnitudine seminis milii vel papaveris nervo affixa. Hæc cum digito chartæ apprimerem, nigro humore eam infecerunt. Quis & eruditus quidam amicus noster in talpâ gravidâ dissectâ fœtus aliquot se reperisse mihi narravit, majusculis capitibus, in quibus jam etiam oculi apparerent. His planè consentanea retulerunt nobis viri excellentes & αὐτοπλά.* Quin & illud addidère, esse huic animali palpebras, quibus operire possit lumina oculorum.

§. 31. Quid ergò moramur? Habent talpæ oculos: & habent apertos, Ergò vident. Quid? omitte illud, apertos, & substitue clausos, tam firmum hoc argumentum est, ut in eo solvendo operam & oleum perdiderint omnes talparum τυφλωταί, constricti ab una valida inexpugnabili ratione: **NATURAM** quia natura **NIHIL FRUSTRÀ FACERE.** Conati sunt tamen elabi, sed aliter Aristoteles, aliter cæteri. **Operæ** nihil frustra **facit.** precium est videre quid afferant.

C 2

§. 32. Præ-

g) Crassa est Aristoteli: tenuis Bodino: Simonio tenuissima & absque pilis, ut transparendo talpa cernere possit. Addit Toletus, per eam apparere & motus oculorum. Non prorsus ineptè forsitan, si de palpebris exponas. h) §. 22. i) f. 932. Inde Aldrov. f. 451. Conf. Cardani locum lib. X. f. 297. qui tamen nec clarus est fatis, & autoris hic parum idonei.

Exceptio A-  
ristotelis,  
Naturam  
perficere o-  
pus non po-  
tuisse,

§. 32. Præcedat Aristoteles. Nam & hic aliis erroribus ducem se præbuit, & est ejus error hic planè capitalis. Concessit, Naturam in oculis talpæ meditari pro fine visionem: eum finem cur non assequatur, materiæ culpâ fieri sensit, quòd materia ejus non posset plus recipere k). Tales frustrationes ἀναπηρεσίας vocare solet (oblaciones vertunt l) vulgò.) Quare & in talpâ oculos ἐν τῇ γενέσει περιεμένους m), item διεφθαρμένους & ipsam naturā ἐν τῇ γενέσει περιεμένην agnoscit, & ut plura ejus verba non urgeamus, oculos talpæ apertè opponit τοῖς ἀληθινῶς n), veris. Veris utuntur, qui videre possunt, non veros, sed æquivocè dictos habent cæci. Tales talpis dedit Philosophus, & in hunc sensum περιηρωμένους expo- nit Scaliger o): licebitq; hujus vocabuli velut indagine

k) his verbis rectè exposuit magistri sui mentem Averroes ad II. de an. text. 131. nescio an æquè benè Averrois verba sectator ejus Zimara, digress. p. 380. quia materia illa, cum sit multum terrestris, non est perspicua, sicut requirit instrumentum visionis. conf. Simon. f. 41. l) vix reperit Scaliger vocabulum, vertit tamen perfectiones interceptas IV. Hist. anim. f. 474. 475. oculos περιεμένους lib. I. f. 69. verterat inchoatos, & in Comm. addiderat: nos valdè circumspectâ voce expressimus, inchoatos: etiam preventos dicere possis ab ipsâ pelliculâ antè quàm absolventur. m) I. Hist. an. 9. n) hæc omnia IV. H. A. 8. o) Exere. 244. p. 705. ubi adhuc pro cæcitate disputat: Habet igitur id, quod partim esset, partim non esset oculus. Hoc est, quod agebat Philosophus, περιηρωμένους. In verbis sequentibus statim deficit ad partes adversas. Rectè hoc illud minus rectè, quod iisdem putavit patrocinari Aristotelem (erravit in hoc & Simonius f. 42. add. Timpl. p. 456. & Keck.] torquens alia quædam ejus verba. Nam

hæc vocula, πεπερωμένον, hanc vim non patiebantur.  
Adigebat eum potius, ut postea in Comm. ad IV. H. A. f.  
475. apertè despueret in impium dogma, ibi: *Hæc est sen-*  
*tentia* &c. quod Christianum Philosophum decebat.

jam interpretari vexatum textum librorum de animâ  
p) pro cæcitate: non enim frustra eadem ibi vox oblæ-  
sionis q) reperitur.

§. 33. Habuit ergò Aristoteles talpam pro ger- & hinc tal-  
mano ac nativo monstro naturæ. Nec novum est in pas esse  
ejus philosophia, non individuatantum, sed ipsas inte- monstra,  
gras species monstrofitatibus laborare. Quid clariùs  
quàm hæc ejus verba r): ζωτόκα πάντα φαίνονται έχον-  
τα τούτας πάσας ( αἰσθησεις ) πλὴν εἰ τι πεπρωται ΓΕ-  
ΝΟΣ, οἷον τὸ τῶν ἀσπαλάκων. Vides talpam exemplum  
poni non individui monstrofi sed generis.

§. 34. Ultima tam profanæ sententiæ vena qua-  
renda est in illo facerrimo Ethnicorū principio; Mate-  
riam non à Deo creatam esse, sed illi coëxstitisse: tan-  
tum ergò posse Deum, quantum hæc illi permetteret: si  
plura velit (velle autem, quandoquidem ad id semper

revocatur  
ad principi-  
um suum,

C 3

ten-

p) lib III c. i. quem sic περιφράζω. Nullus sensus deest per-  
fectis animalibus & non oblæsis. Imò ex oblæsis talpa,  
etsi sensuum aliquo caret, omnium tamen accepit instru-  
menta. Habet enim oculos sub pelle, utut careat visu,  
etiam hunc adeptura, si quantum, expetebat natura  
[expetit autem semper optimum quidque] tantum illi per  
materiæ licuisset malignitatem. Sic exponendo loco  
non parum quoque servit illud IV. H. A. 8. ἄνθρωπος μὲν  
&c. q) ap. Interp. vet. Sed in ed. Averb. p. 118. perperam  
impressum est: *occasionem* pro *oblesionem*, quod in Aver-  
rois quoque textum irrepfit. Antiquum esse sphalma in-  
de con-

de conjiçias, quod & Albert. M. sefellisse videtur, qui cum videret mendum, nec veræ tamen correctionis in mentem veniret, utcunque emendavit, & *occisionem* scripsit plus unâ vice I. de animal. Tr. 2. c. 3. r) IV. H. A. 8. confer mihi jam locum IV. (seu V.) Metaph. 22.

tendat Natura, quod optimum s) est, inchoare posse, perficere non posse. Huic principio acceptum referent foeminae, quod totus earum sexus pro monstro, & imperfecto, atque ut barbari loquebantur, occasio nato animali traductus est ab Aristotele. Quem secutus Galenus imperfectionem illam exemplo talparum egregie sibi t) confirmare visus est, cum rem portentii similem persuadere vellet, foeminas à viris non aliter distingvi, quam genitalium occultatione: quas partes in illis easdē planè omnes peræquè ut in viris commentam esse naturam, sed præ imbecillitate excludere, & foras mittere non quivisse, planè ut in oculis talparum u) contigerit, intus ad unguem absolutis, tantum corium perrumpere non valentibus.

& damnatur,

§. 35. Verè monstra sunt, non in specie aut sexu animalium, sed in his opinionibus. Quibus non aliter medicinam facias, nisi ut unâ cum illo ipso tam pestilentii pe-

s) Exponi hoc effatum solet in regulis, trahique in commodum sensum, vid. Stahl part I. Disp. II. Reg. 5. p. 317. sed aluit in eo Aristoteles aliquid monstri, nec sine causâ suspectum est Scaligero ad IV. Hist. Anim. f. 474. t) locis toties cit. u) placuit hoc exemplum & Riolano, II Anthropogr. 27. p. 261. ubi disputat de sexuum transformatione.

penitus excindas vv), Salva Dei maiestate concedemus monstra in individuis x), sic enim condidit materiam, ut interdum deficere posset; nulla concedemus in speciebus, quia materia non praescripsit Deo limites; sed materiae DEUS. Charus nobis est Aristoteles, sed charior religio. Nec placent, qui sententiis impiis colores quaerunt, ne appareant, (quod in excusanda talparum caecitate fecisse Scholasticos post paulum patebit:) Detegenda sunt, ut caveri possint; non pingenda, ut irretiant incautos.

§. 36. Similis aliorum fuit impietas, qui ne cum Aristotele impotem Deum facerent, fecerunt imprudentem. Dixerunt: naturam oculos talpis elaborasse, post animadvertisse demum, aut oculis fore perendum, aut animali: (quomodo enim incolumes oculos fore, si cibus fodienda per faciem y) terra quaerendus sit? si non quaerendus, quomodo victurum animal?) nisi placeret oculos plane non extrudere: equidem hoc pacto futuros inutiles: sed magis certe placuisse

*cum aliorum  
effugio, natura  
ram impro-  
vidi consilii  
ream agentium.*

vv) Non ergo ignosco Zimaræ, qui p. 380. dicit, ut solveret argumentum de Nat. nil frustra faciente suam fecit causationem Aristotelis de impedimento materiae. Si voluit impedimentum circa speciem, parum Christianè; si circa individuum, impertinenter: conf. Simon. f. 42. x) Vid. Simplic. f. 50. quid sint *πεπρησμενα*, etsi illa non satisfacerent Aristoteli Conf. Albert I. de Anim. Tr. 2. c. 3. ubi de occisione loquitur, & adde Scaligeri verè Christianum de talpis iudicium contra Aristotelem f. 475. ad V. H. A. y) falsum & hoc, etsi quibusdam credidum, ut Simonio f. 42. An ideò Timpl. p. 439. cum Simonii verba recitaret, omisit illud *totà facie*? Enim verò pedib. anteriorib. cuniculos sibi facit talpa, non, ut Schvvenck f. putat, rostro.

isse ut visionis, quàm ut vitæ jactura fieret: sic ergò fecisse, & majorem τὸ εἶναι, ἢ τὸ εἶναι εἶναι curam habuisse ζ). Non blasphema tantum hæc ratio est, sed se ipsam evertit. Fingit enim nobis improvidam providentiam, ἐπακολούθησαν ποιεῖσαι τὴν πρόνοιαν, ut in ejus refutatione Simplicius loquitur.

*Exceptione  
Scholasticorum.*

*diluitur.*

*De visu tal-  
parum hebe-  
ti expendi-  
tur discursus.*

§.37. Ut breviores deinceps lineas ducamus, imperat necessitas. Cum ista via res non procederet, aliam inierunt Doctores Scholastici. Ut talpæ visum adimerent absque Naturæ injuria, proposuerunt huic fines, quos etiam per cæcitatem liceret adipisci, ut ex insignibus oculorum inter animalia perfecta censerent talpæ possent: ut decorem illis & ornatum conciliarent isti qualescunque oculi: ut per hos, quod in eo loco futurum erat, vacuum expleretur. Miseri fines: primus etiam in Naturam aperte contumeliosus. Non ex animo singulos. Fecerunt hoc Simonius & Timplerus. Vim universorum unica ratione confodio. Quicquid profunt oculi, si non vident, monstrosi sunt & πεπηρωμένοι. Sic Aristotelicæ responsionis impietas non sublata fuit, sed incrustata.

§.38. Dedimus talpis visum. Compleamus hujus beneficii numeros, & pellem quoque demamus, quam qui reliquere, non videntur satis huic animali con-

ζ) Averroï tribuit Simon. f. 41. sed memoriâ lapsus puto. Apud Simplicium legisse poterat, qui recitat pariter, sed strictim, & refellit. Antiquiorem certè Averroë esse hinc patet. Videtur in eam incidere Nic. Tignosius ad II. de anim. f. 280. & alii, qui pelliculæ usum in munien- dis ab injuria suffossæ terræ oculis sic agnoscunt, ut cæcos interim fateantur. Nam cæteri magis excusabiles sunt.



consuluisse. Lumen enim accipiet: species rerum non dignoscet. Hoc in nobis experimur, cum palpebras obducimus. Quo simili dum Simplicius utitur, dicas hanc visionis extremam hebetudinem fuisse confes-<sup>Simplicius:</sup> sum: & ad hujus excusationem pertinere, quod apud eum legitur de medio & vacui fugâ. Nos eum sic exponemus: Non procedit natura ad extrema mediis omissis. Ergo à visûs orbitate ad aquilini oculi aciem progredienti fingenda fuit species animantis, quod ambigeret quasi & luctaretur in visûs cœcitatique confiniis. Istos oculorum ordines accuratiùs lustrat Scaliger. Nobis hîc non libet explorare, quid illud dogma de fugâ vacui in formis vel veri promat, vel occultat periculi. Concedamus postulanti Simplicio si-  
ve formarum aliquos gradûs sive oculorum: Sed hoc addimus: Ista loculamenta formarum non explere DEUM, ut expleat, sed ut sint habentibus saluti. Secus non multum distabit hæc ratio ab illorum temeritate, qui jactabant, oculos talpæ contigisse, ut haberent perfectionem titularem, aut nescio quem ornatum. Ita non removit dubitationem Simplicius, sed distulit. Docendum erat, oculos tam obtusos necessitatibus Talparum satisfacere.

§. 39. Id ab Simplicio neglectum audet nobis polliceri Scaliger, sententiam ejus, non verba, referemus. Putat acriori acie talpas neutiquam indiguisse,<sup>Scaligeri:</sup> subterraneum animal, cui vita in tenebrosissimo elemento, extrâ illud mors præsentanea ob aeris nostri tenuitatem, quam pati diu non possit: lucem ergo ut fugeret, sentire debuisse: hoc illi sufficere. Eam nobis sententiam si non pro verâ, pro argutâ saltem per-

D

sva-

svasam voluit: nec invitis tamen. Præsentit credo iudicium posteritatis. Argutiæ si qua hîc laus est, Alberto debetur. Is enim hanc rationem Scaligero prævit, ignare, si hoc nescivit, si scivit, ingrato. Sed videamus, quàm vera sit. Principiò, quòd putavit non esse talpis vitalem hunc nostrum aerem, communis error est, post paulum à nobis detegendus. Cui tamen hæc tota, quanta est, machina innititur unà cum nova subtilitate de gradibus respirandi & lacertis amphibiiis. Quæ penè risum nobis excusserat, augurantibus fore, ut hoc argumento metallarii fossiores inter amphibia posthac numerentur. Deinde si aerem nocivum (dēmus enim hoc illi) sensu lucis fugit talpa: parum illi cavit natura: quo enim indicio hostem hunc suum deprehendet illuni nocte? Contrà, si verum est (quis neget?) hunc eundem aerem inimicum longè certius pulmonum suspiriis deprehendi: si totius corporis aut libertate, aut appulsu, in quo elemento versaretur, scire potuit: supervacanei sunt hi oculi: nisi putemus & pisces, si oculis careant, id quod elementum veniant ex aquis, ignoraturos.

*Si motii:*

§. 49. Proximè à vero a fuit Simonius. Scribit enim, si strepitum sentiat talpa, incredibili celeritate ad suum cuniculum reverti, & hoc visui ejus impudat. Credidit ergò, ab ea quoque rerum species internosci. Quod argumentum si libuisset illi proferre ad perforandam illam pellem, hæc parte nihil in eo desiderarem.

*ponitur tan-  
dem senten-  
tia vera.*

§. 41. Concludamus ergò, talpas non modò lumen à tenebris, sed opaca etiam inter se corpora (licet acie non aquilina) distingvere. Sciunt enim, ut Rol-  
len-

Yenhiagijs observavit, oculis ducibus tum Solem um-  
bris, tum λιθόσρωται fimetis aut agris mutare. Non  
semper cavernis sepultæ sunt : exspaciantur interdum  
& in terræ superficie ut inveniunt, quod venentur, sic  
habent, quos fugiant. In has opportunitates oculos  
illis gratificata est natura, denegandos haud dubiè, si  
omnem vitam in subterraneis tenebris agere eas volu-  
isset.

§.42. Hoc ipsum respondebitur ad alteram ratio-  
nem, quam inculcare solent caudidici cœcitatæ, tanti  
æstimatam à Scaligero, ut demonstrativam vocet: *Tal-*  
*pa subterranea bestia perpetuò est. Nullus usus videndi subter-*  
*raneis. Nullus ergò talpæ.* Subterraneam esse agno-  
scimus: perpetuò, negamus. Hujus unius voculæ e-  
jectione animam illi demonstrationi expectoramus.  
Sed testes obducunt nobis de illa Solis & Talpæ anti-  
pathia, & hujus fatali termino, si carcerem suum exeat.  
Quos testes? Quod sciam neminem producant testem  
antiquiorem Alberto. Nec nego apud eum hoc legi:  
*vita ejus non durat super terram, nisi forte spacio unius horæ, vel*  
*ad plus spacio horarum duarum.* Hujus fidem cæteri omnes  
(fateor multos esse,) clausis oculis secuti sunt: sicut  
ipse alios, quos sequeretur habere potuit: sed qui vel  
credulitati nostræ illuderent, vel mysticum aliquid aut  
poeticum proferrent, quòd aliis oculis legi deberet,  
aliis intelligi. Hanc unam excusandi Alberti rationem  
invenio. Quæ dixi, licebit hinc existimare: Olym-  
piodorus ex Hermete de Talpa: *ἀμέλει καὶ ἐὰν φθάσῃ*  
*θεωρηθῆναι ὑπὸ τῆς ἡλίου, εἰ δέχεται αὐτὸν ἢ γῆ ἕως ἐσπέρας.*  
Kyranidum scriptor, qui Summi Viri judicio is ipse est  
Hermes, (Alkirandum nominat Bartholomæus Cocles:

*Argumentum novum  
pro cæcitate:  
cum rejectione  
ejus dem.*

9173 268

in Chiromanticis :) Talpa.. si viderit Solem, non ultra recipit ipsam terra, sed morietur. Hæc illi miserunt in literas. Sed talpæ non curantes quid alii vel scripserint, vel intellexerint, latebrarum quidem suarum amantiore, non tamen infeliciter vivunt super terram.

aliud pro visu.

§. 43. Addemus unicum Argumentum pro sententia vera. Quod Cardano, qui volet, acceptum referat, non visum à Scaligero, cum scriberet quæstionem de talpis nec dissolutam à Cardano, nec indicatam saltem. Ζωοτόν, seu, Vivipara talpa est: habet igitur omnes sensus. Consentaneum enim, quod animal perfectâ generatione nascitur, sensuum quoque habere perfectionem. Perfecta autem viviparorum generatio. Talis quippe humana. Fatetur ipse Aristoteles, omnia vivipara sensuum perfecto numero pollere: unam talpam nominatim excipit. Nos effectum illud ab omnium exceptionum necessitate liberandum existimamus.

F I N I S.



107



Q. K. 355, 30

VISU  
DIS

Inclut  
IN

EXCELL  
DN. M. J.  
Eloqventi  
cult. Philof  
Prin

*Dn. Prae*

pub

JOA

Curak

UM,  
S,

phici

SSIMI  
IASIL,  
rimi, Fa-  
on Min.


*motoris*

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

671.

II J  
268

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)



Kodak  
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

